

P R Æ F A T I O.

deris. Ne tamen existimes, me tantum
 luctus & gemitus apportare: ecce tibi
 etiam summa lætitia, gloriosissimusque
 triumphus. Post enim hanc tempesta-
 tem, consequentur illicò festiva tempo-
 ra, & exoptata maximè. Quid enim ju-
 cundius esse potest castissimæ Sponsæ,
 extrusæ forâs à Româ meretrice, (quæ
 jactat se loco veræ conjugis) ab eâdem,
 tot seculis, omnibus injuriis & cõtume-
 liis vexatæ: quàm, tandem videre im-
 pudentem Prostibulam concisam nari-
 bus, spoliatam vestibus & ornamentis,
 conspurcatam fimo putridisq; ovis, ac
 deniq; combustam & consumtam igne?
 Erige paulisper aures, & accipias ex hac
 prophetiâ (Apocalypseos,) non obscu-
 ra quædam signa; sed certissima argu-
 menta, surrecturi jam-jam Sponsi, ad ul-
 ciscendum dolorem tuum, & tradendû
 in tuam manum Meretricem illam: ut
 in eam effundas totû æstum zelotypiæ.
 Quò plûs etiam gaudeas: simul accipe
 Turcarum ultimum exitium, illicò post
 everfam & excisam Romã. Hanc enim
 primùm deleri oportet, unam segetem
 & ma-